

*Doc. 13 (Item scriptum est  
eidem iustitiario (Basilicate) etc.  
Fidelitati tue sub pena unciarum...)*

Basilicata University Press

—

*Digital Humanities*

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 13 (Item scriptum est  
eidem iustitiario (Basilicate) etc.  
Fidelitati tue sub pena unciarum...)*

1278-07-15

Item scriptum est eidem iustitiario (Basilicate) etc.

Fidelitati tue sub pena unciarum quinquaginta auri firmiter et expresse precipimus, quatenus statim receptis presentibus mittas de singulis terris iurisdictionis tue vicinis apud Lacumpensilem die quolibet sine defectu et intermissione quolibet, donec nos ibi cum gente nostra feliciter esse contingerit, ad vendendum pro familia et gente nostra curiam nostram sequentibus fodrum panis, vini, carniū, ovorum, gallinarum, ordeī et aliarum rerum necessariarum usui hominum in quantitate necessaria, ut semper et continue huiusmodi rerum venalium accessoriarum usui hominum et equorum necessaria, et sufficiens quantitas inveniatur venialis. Iniuncturus baiulis iudicibus magistris iuratis et universitatibus terrarum et locorum ipsorum, singulis videlicet eorum sub pena decem unciarum auri, quod totam quantitatem fodri panis videlicet, vini, carniū, ovorum, gallinarum, ordeī et aliarum rerum, quam de qualibet terrarum ipsarum mittendam provideris et iniunxeris, consideratis facultatibus et qualitate ac distantia locorum ipsorum, die quolibet mittere studeas apud Lacumpensilem ad vendendum. Ita quod de representatione ipsius fodri vice qualibet recipiant et habeant cedulas a vice marescallo regni Sicilie vel statuto loco sui, et si de representatione ipsius fodri non receperint et habuerint vice qualibet a predicto vice marescallo cedulam, ut est dictum, penam predictam a singulis hiis qui in missione ipsius fodri defecerint instanter exigas, et ad cameram nostram castri Salvatoris ad mare de Neapoli studeas destinare, et quid et quantum pro pena huiusmodi exigeris, a quibus et quando, et ad predictam cameram nostram miseris,

magistris rationalibus magne curie nostre distinte per litteras tuas significes. Nichilominus sic instes, procures et facies, quod huiusmodi fodrum continue et sine defectu quolibet transmittatur, cum tibi exinde incumbamus, quia si in mittendo et habendo fodro ipso defectus emergerit, penam predictam a te mandabimus extorqueri, quantitatem et qualitatem vero fodri, quam de qualibet terrarum et locorum ipsorum mitti statueris et mandaveris, redigi facias in tribus quaternis similibus, quorum uno tibi retento, alium magistris rationalibus magne curie nostre et consimilem dicto vice marescallo sigillatum sigillo tuo transmittas, et quia nolumus eos occasione predictae pene intercipi, quia forte grave foret predictis universitatibus ac videretur impossibile posse die quolibet fodrum ipsum, provideas et statuas cuilibet ipsarum certum numerum dierum qualibet edomada, quibus diebus in mittendo fodro ipso defectum aliquem non committant, ita committant bis in edomada fodrum ipsum nec deficient in committendo illis diebus, quos eis duxeris bis in qualibet edomada statuendos.

Datum apud Lacumpensilem XV Iulii (VI indictionis) 1278.